



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 14. Dicit eis Iesus: Ego sum. v. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

fices & Seniores populi; qui eos miserant, ut eum caperent, morte turpissima afficerent, eraderent de terra viventium; ut non maneret eius memoria in æternum. iste fuit sensus eorum, qui bonum imo optimum verbum responderunt.

Domine Deus, satis clarè video idem verbum posse esse in ore fidelis mel, & in ore infidelis hominis esse fel. video verbum tuum posse dici ab homine catholico & ab homine Apostata: sed tamen longe diverso sensu & animo. Iesum Nazarenum hi milites quærunt & se quærere dicunt, sed quam diversa intentione ab illis scæminis quæ post paucos dies venerunt ad tuum sepulchrum, itaque non statim credam omnes esse sanctos qui verbum tuum crepant, sed examinabo eorum intentionem quia video idem verbum posse esse in ore iusti & reprobari diverso fine.

§. 14. Dicit eis Iesus: Ego sum. v. 5.

Quasi eis diceret: Erratis amici mei, Ego ipse sum quem quæritis insidiosè per Principum vestrorum mandata capere, & idem ego ipse sum Iesus, de quo Prophetæ vestri prædixere venturum Messiam ad liberandum populum suum à peccatis eorum, à morte ad vitam, & vitam æternam. nolite ergo alium quærere Iesum, præter me, Iesus enim sum & salvator vester, quem quæritis, si igitur & vos quæritis salutem, eni adsum præstiturus etiam vobis, quam iam aliis sæpe dedi.

O Christiane, si impijs hominibus se & gratiam suam tam promptè obtulit Christus, quanto promptius eandem gratiam, imo se ipsum quoque offerret his, qui ipsum in veritate perquirunt! Discamus iam ex hoc verbo Christiano candorem prudentem, ut nomen nostrum, nomen Iesu Christi, fidem nostram libere confiteamur; si à Tyranno audis, es Christianus: es Catholicus: libere responde, *Ego sum*, ut, per constantem fidei confessionem, cum Christo esse merearis, disce blandis verbis respondere etiam inimicis & calumniantibus te. disce quam blande excepturus sit electos in reditu suo victores, si tam benevole exceptit hostes in prociectu ad bellum.

§. 15. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. v. 5.

Non sine causa hic dicit adfuisse Iudam proditorem tanquam belluarum furentium ferocissimum, & Ducem militiæ infastæ stetit ante cohortem, ut prior apprehenderet Iesum Magistrum suum, dum hæretibus suavia proferebat. *Ego sum*, ut ostenderet animum peccatorum, qui in